905 7 V r 11

DE ASCITE GRAVIDARUM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA-GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE VI. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
FRIDERICUS CAROLUS DOINET
RHENANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:
C. S. HAESE, MED. ET CHIR. DR.
W. BECK, MED. ET CHIR. DD.
G. SCHMIDT, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40152017_0107

VIRO

ILLUSTRISSIMO ATQUE CELEBERRIMO

C. G. ULRIC. WAGNER

MEDIC. CHIRURG. ET ART. OBSTETR. NEC NON PHILOSOPH. DOCTORI, MED. PROF. PUBL. ORD., PHYSICO FORENSI APUD BEROLINENSES, EX SUPREM. IN RE MEDIC. EXAMINATORIB., SOCIETAT. MEDIC. CHIRURG. LONDINENS, BEROLINENS., SOC. ORDIN. MEDICOR. ET MEDIC. AEMULAT. PARISIENS., PHYSICO-MEDICAE ERLANGENS., RER. NATURAE STUDIOS. MARBURGENS. SODALI.

NEC NON

PATRI OPTIMO, DILECTISSIMO

NICOL. DOINET

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMA PIETATE

OFFERT

AUCTOR.

Nihil est jam dictum, quod non dictum sit prius.

Plautus.

Non raro evenit, ut mulieres, dum utero gerunt, diversis conflictentur morbis, qui si vel non agnoti, vel neglecti, vel male curati sint, aut matrem, aut foetum, aut ambos in perniciem ducunt; quare uterque feminarum status bene considerandus est. Servare matrem, una cum foetu, ut res prospere succedat, tenemur. Quod vero, qua ratione faciundum sit, non statim liquet.

Mauriceau bene*): „les maladies des femmes „sont bien plus dangereuses dans le tems de la gro-„sesse; parcequ'on ne peut pas pour lors faire tous „les remèdes, qui leur pourroient convenir en d'au-„tres tems."

Quod quidem summo jure de statu hydropico in graviditate dici potest, qui, proh dolor! saepius eam solet comitari.

Unusquisque status hydropicus minoris etiam momenti jam per se non levis est, magnasque affert molestias. Graviditas, quamquam non status sit pathologicus, tantas tamen affere solet et morbosas quodammodo affectiones, ut morbum credas. Ad quemnam gradum symptomata augeantur necesse sit complicatione ista utriusque status facile quisque intelligere potest: quum alter in alterum multum va-

---

*) cf. Levret, art des accouchemens.

leat, atque ad majorem perducat significationem; absque viribus enim mutuo inserendis uterque constare non videtur.

Obiter tantum hydropis curationem intuentibus, subito nobis dimicatio medicaminum in complicatione hydropis cum graviditate in oculos cadit, in primis autem, si hydrops adest inflammatorius. Hoc enim in casu morbum acutum habemus, qui plane medicamina, graviditati contraria desiderat. Unde Galenus*), exponens sententiam Hippocratis, dicentis: „mulierem utero gerentem capi ab aliquo morbo „acuto lethale esse," dicebat, ex morbis acutis utero gerentibus duplex imminere periculum, alterum ex magnitudine febris, quae foetum occidere potest, alterum ex tenui victu, qui morbis debetur acutis, cujus ratione ex alimenti defectu foetum destruimus etc.

Si porro curam chirurgicam respicimus, fortuna arti hoc in casu quoque non multum favere videtur, quamquam exempla fausti exitus, et matri, et foetui, non desunt.

Prae primis autem omnia haec impedimenta nobis occurrunt in gravi illa complicatione ascitae cum graviditate. Hippocrates scribit, quodsi mulier in utero habeat, et fiat hydrops, corrumpi foetum.

Quod vero non in unoquoque casu adesse, quum etiam cum hydrope partus ad maturitatem perduci possit, exempla nos docent. Interea, si observationes enumeratas comparamus, longe plurimos casus non prosperrimum habuisse exitum reperiemus, nam in plerisque aut mulier, aut foetus, aut uterque mortui, aut illa servata, abortus tamen factus est. Accedit huc, quod diagnosis complicationis istius non facillima, et prognosis non optima sit.

Mirandum certe, scriptores, praecipue mulierum morborum aut artis obstetriciae plane hanc morbi speciem praeteriisse, aut leviter tantum tetigisse, quae quidem, quamquam non frequentissima, tamen nec

---

*) cf. lib. V. Aphorism. comment. 30.

tam nova, nec tam rara, nec tam levis est, ut aut plane omittenda sit, aut brevioribus tantum verbis memoranda. Quantum invenire potui, plurima de hac re scripta sunt in diariis medicorum.

Nonnulla breviter dicunt, vel rem tantum tangunt hi autores:

Baraillon, in mém. de la Soc. R. de med. 1784 — 1785.

Denmann, in Introd. to the Practice of Midwifery. Vol. I. p. 290. 4. ed.

Burns, the principles of Midwifery p. 179.

Richter, Handbuch der spec. Ther.

Puchelt, System der Medizin.

Schmalz, Diagnost. Tabellen.

Plures observationes Ascitae cum graviditate complicationis nobis communicarunt:

J. Schenck à Graefenberg in observ. medic. rar. etc. volum. Francof. 1609.

Mediz. Edinburg. Versuche V. B. II. No. 64. 1752.

Neue Sammlung auserl. Wahrnehm. aus dem Franz. 1774. *XVIII. B. XX. B.*

T. B. Osiander's Beobachtungen 1787 *p.* 114. 3 *Beob.*

P. Franck, de Hydrope, in libr. d. cur. hom. morl. Epitome.

De chirurgicis:

Chelius, Handbuch der Chirurg. T. II.

Schreger, Grundr. der Oper.

Vieusseux, über d. Anz. waehr. d. Schwang. aus d. med. and phys. Journ. 1802. *übers. im Journ. d. ausl. mediz. Lit. v. Hufeland, Schreger und Harless* 1803. *Febr.*

Maclean, über d. Anzapfen. ibid. Jan. 1803.

Bonn, über Harnverhaltung. S. 31.

Scarpa, neueste chirurg. Schriften, aus dem Ital. von Erdm. Thieme. I. Thl. 1828.

G. Langstaff, in medico-chirurgical Transactions XII. B. p. 372.

Quum, ut jam supra memoratum est, Ascitae diagnosin difficillimam esse neminem fugerit, fluctuatione, symptomate maximi momenti, tam fallace; quum porro in feminis longe difficiliorem atque in viris reddi experientia doceat; quum denique graviditatis signa non minus incerta sint, foetus motus inprimis valde decipiant: non est quod miremur, permultos, accuratos liceat perscrutatores, in ascitae cum graviditate complicatione dignoscenda saepius in fallacias induci posse, jamque, ut exempla demonstrant, inductos fuisse. Summa itaque cum diligentia perpendere debet medicus utriusque status symptomata, ut accurata comparatio rem in lucem proferat.

Fieri autem potest, ut ascites, antequam femina conceperat, jam adfuerit, aut graviditatem supervenerit, vel orta graviditate ipsa, vel aliis ex causis. In casu priori suspicio graviditatis facillime oriri potest, quum experentia, feminas hydropicas facilius concepisse, atque apud hydropicas menses fluere desiisse docti simus. In universum autem, quum aut graviditas non tam progressa sit, aut symptomata ascitae non tam insigniter in conspectum veniant, errores paene non vitandi sunt. Ex parte suspicio unius vel alterius complicationis fere non movetur; ex parte commutationes facillime oriri possunt, quum medicus saepenumero a feminis decipi tentetur. Hippocrates*) ait: apud Scythas mulieres saepe decipi quod se in utero habere foetum existiment, et hydropicae sint. Mercurialis**): „Imo Venetiis fuere „nobiles mulieres, quas medici putarunt solum hy„dropicas esse, et tamen inventae sunt, una cum „aqua conceptum habuisse". P. Franck se observasse narrat mulierem, quae quum ascite laborans, ob mammarum inconsuetum tumorem gravida visa esset, interea familiaritatem cum viro habuisse con-

*) Lib. de Aëre, aquis et locis.

**) De morb. mulier. lib. I. cap. 2.

stanter negaret. Quum consilio senioris medici, juvenilem ipsius, ut vocavit, pavorem increpantis, paracentesis abdominis, quam timeret, facta esset, nonnullaeque aquae mensurae effluxissent, manifeste motus infantis in utero percipi, matremque nunc non amplius in negando persistere potuisse. Nonnullos post menses infantem plane sanum expulsum esse. Alio loco: unum ipsius auditorum in muliere, ascite laborante, paracentesin instituisse; septem aquae mensuris evacuatis tres post dies foetum trium mensium editum esse.

Qua ratione infantis motus et matrem et medicum fallere queant, idem scriptor exemplum nobis affert, si dicit: „feminam quinquaginta quatuor an- „nis jam natam, ex phthisi pulmonali asciticam, „per aliquot jam hebdomades sine fructu tractavi- „mus. Fiduciam hinc suam eo magis haec nobis „subtraxit; quod, non obstante aetate jam provecta, „praegnantem se autumans, veram nobis sui status „cognitionem deesse praetenderet. Octo prolium, „inquiebat, jam mater fui; nec foetus in utero mihi „motus sunt incogniti. Volam igitur manuum utram- „que abdomini frigidam applicantes, nos ipsi motus „in uteri regione sat fortes, quasi genu foetus, aut „cubitus alliderent, saepius percepimus. Quamvis „vero quinquagenariarum partus, ut Romani quon- „dam vocabant, miraculosi raria exempla nos minime „laterent; cum tamen uterus exploranti se digito „vacuum exhiberet, spem conceptionis nullam esse, „declarare continuavimus. Alter hinc medicus, et qui- „dem longo artis exercitio clarus, aegram, accersi- „tus suscepit. Non satis cautus interim hic fuit, „quin mulieris assertio, motusque in abdomine per- „cepti eundem fefellerint. Morte vero hujus aegrae „post tres septimanas insecuta, cum sectionem cae- „saream promptius institui jussisset hic medicus; „magna copia aquarum ex cavo abdominis emissa, „utero vetulae prorsus corrugato atque vacuo, tu- „mores aliquot duri, angulosi, pedunculis membra- „nosis satis longis peritonaeo adfixi, reperti fuerunt;

„qui scilicet tumores, vivente adhuc muliere, me-
„diis in aquis libere fluctuantes, abdomine qualicun-
„que ratione agitato, motum foetus perfecte imi-
„taverant."

Denmann *): „There have been a few instan-
„ces of women with child who have had a true
„ascites; and those who have an ascites sometimes
„become pregnant. Some cases are recorded, and
„many reported, in which the mode of treatment en-
„joined has been founded on an erroneous opinion
„of these two situations; that is, of a dropsy being
„mistaken for pregnancy, and pregnancy for a dropsy.
„The former is not productive of mischief in any
„other way, than by delaying the use of such means
„as might be considered likely to cure the disease
„if administered in its early state. But the conse-
„quences of the second error have been deplorable.
„For, if any active remedies are used on the pre-
„sumtion of a dropsy, the child will of necessity be
„often destroyed, and an abortion or premature la-
„bour occasioned; and, when the operation of the
„paracentesis has been performed, it hath been
„Known to prove fatal to the mother and child, al-
„ways reflecting great discredit both upon the ope-
„rator and profession."

Major autem fluidi accumulatio, quae fit, sicuti ascites acutus, in exordio aut medio jam graviditatis decursu, ea est, quae saepius invadit gravidas; cujus ob vehementiam et snbitum symptomatum incrementum summam ejus haberi rationem necesse est. Abdominis extentio tam immensa fit, ut, exceptis ex magna inferiorum extremitatum intumescentia ortis molestiis, cum pressio uteri in intestina, quae retrorsum et superne pelluntur, tum constrictio, quae necessario in respirationis organis inde oritur, mulierem summum in angorem et suffocationis periculum ducant. Fluidum accumulatur inter intesti-

---

*) Introd. to the Pract. of Midwif vol. I. p. 290. 4. ed.

na, quae versus diaphragma premuntur, et inter fundum et parietem posteriorem uteri, qua re regiones hypochondriacae maxime prominent; regularis fundi et corporis uteri gravidi forma tangendo perspicue diagnosci non potest. Si abdomen digitis pulsamus, in regione inferiori atque in lateribus obscura tantum percipitur undatio, longe perspicuior in regionibus hypochondriacis et fortissima, vibrans quasi, in hypochondrio sinistro, inter acumen lateris exterioris musculi recti abdominis, et marginem costarum spuriarum. Sitis insatiabilis; urina parca, et sedimentum lateritium offert.

Haec sunt praecipua signa secundum Scarpae aliorumque observationes. Baraillon *) jam, breviter quidem, statum descripsit.

Signa hydropis uteri gravidi, qui saepius quoque cum ascite complicatus invenitur, facileque commutationem adducere potest, generatim valde diversa, haec sunt: abdomen celeriter extentionem regularem acquirit, quinto jam graviditatis mense magnitudinem, quam in fine, prae se fert. Angorem et suffocationis periculum quoque maximum habemus, quod incrementi celeritate ipsa oritur; quum non gradatim ut in regulari graviditatis decursu extentione uteri peritonaeum, musculi abdominis et integumenta externa expandantur; quare fit, ut uterus magis longitudinalem corporis axin observet, itaque pectoris cavum diminuat, utero gravido in decursu regulari paulatim antrorsum inclinante. Fluctuatio exigua, obtusa, in profundo animadvertitur; sitis de-

---

*) Mem. de la Soc. R. d. med. an 1784. 1785. „Lorsque l'ascite est occassionée par la grosesse, celle ci est ordinairement très facheuse dès les premiers mois; les vomissements, et l'inappetence ouvrent la scène; la foiblesse survient de même, que l'alteration; et alors on boit beaucoup pour la satisfaire. Les urines ne coulent qu'en petite quantité, les jambes s'engorgent, le ventre s'éleve; la fluctuation se fait sentir, et il est rare que la mêre sent son enfant avant le sixième, ou le septième mois; qu'elle le porte à terme, et plus rare encore, que l'enfant vienne vivant, et bien constitué.

est; valetudo communis minus confligi videtur. Motus infantis, si qui interdum adsunt, irregulares non facile observantur. Periodice fit hydrorrhoea e vagina inter abortus metuendi signa, qui quidem non raro exstitit, unde tristibus talis accumulationis sequelis finem imponit natura ipsa.

Quum hydrops peritonaealis (Franck) non raro apud feminas inveniatur, et aeque atque alia hydropis genera cum ascite commutari possit, dicendi aliquid de hujus quoque morbi specie locus sit. Initio tumor circumscriptus, paulatim se tollens; exempla tamen exstant, quibus brevi tempore extentio magna facta est. Annotatio medici anglici cujusdam, in hydrope peritonaeali tumorem in regione umbilicali minorem esse, initio tantum morbi vera esse videtur. Tumor ille per nonnullos annos adesse potest, et mulieres fuere, quae in statu illo pepererant. Facile itaque fieri potest, ut status ille, si repente irruat, vel si exordium notum non sit, commutationem efficiat; quum symptomata complicationi similia saepius afferat. Fluctuatio, quae non adesse dicitur, non est signum decernens. Schenckius *) narrat: „Femina 40 annorum, ventre „tumescere coepit aestate et autumno priori, absque „molestia, ut gravidam se crederet: nupserat ante „biennium. Hyeme dolores eam gravativi invase„runt tensivi et lancinativi, noctu vehementius, in„crescente simul ventre absque reliqui corporis in„flatione ulla, imo demaceratione potius. Tum im„pregnationis spe in hydropis metum mutata perqui„sivit et admisit undiquaque auxilia, sed frustra: quin „dolores una cum ventre subinde magis aucti fue„runt, ut noctu neque in lecto, neque extra quiescere „potuerit; sed in summo gelu extra domum ambula„vit ejulabunda, donec tandem vitae concessit. Se„ctione facta, nec impregnatio, nec ascites comper„ta, sed intestina una cum reliquis visceribus angu„sto spatio contenta apparebant. Ipsum vero abdo-

---

*) a. à. O. de Hydrope.

„men a cute ad peritonaeum quasi alba pinguedine „duntaxat contextum videbatur, vesiculis crebribus „majoribus minoribusque aqua limpida refertis etc."

Plures casus traduntur, in quibus etiam hydrops saccatus pro ascite habitus malo cum successu operatus est. Hydrops imo saccatus aeque cum graviditate complicatus invenitur, et rupto sacco facile in asciten transire potest. Exemplum ascitae, quod (*in medizin. Edinb. Versuchen*) narratur, ejusmodi fuisse videtur. Femina, per tres menses gravida, tumorem animadvertebat, ordientem a costis spuriis et antrorsum et inferne nonnullos pollices infra umbilicum vergentem, totum epigastrium usque ad processum xyphoideum explentem. Abdomen, qualem in ultimis graviditatis mensibus extentionem habebat. Ambulans aliquando in domo, crepitum in abdomine audiisse sibi videbatur. Tumor evanescebat et magis magisque totum abdomen occupabat.

Longum est, omnes, quae oriri possunt, commutationes et complicationes enumerare. Sufficiat dicere, hydropem ovarii, ligamentorum uteri, asciten mesenteriaum, omenti, aliosque hujus generis, extentionem vesicae urinariae pro ascite aut graviditate haberi posse, interdumque jam habitos fuisse. Omnino autem nota uniuscujusque status hydropici signa consideranda sunt; nec minus graviditatis, cujus quidem certitudinem interna maxime exploratione per vaginam indagamus; aeque ac symptomatum et affectionum morbosarum, quae utroque statu adducantur, ut febris, dolores capitis, vomitus, oedema faciei, pedum, et quae sunt reliqua, ratio est habenda.

Ut differentiae ascitae in complicatione cum graviditate, quoad decursum, bene dignoscantur, necesse erit, distinguere inter asciten chonicum et acutum; numque, ut supra dictum est, jam antequam mulier conceperit, adfuerit, an durante graviditate ortus sit.

Si exempla comparamus, plurimis in casibus asciten, durante graviditate ortum, rapidum habuisse decursum inveniemus; et licet jam antea affuerit,

graviditate praesente, indolem illam accepisse, et tunc graviora obtulisse symptomata; et hoc quidem initio aut medio graviditatis tempore.

Ad considerandas morbi causas, tres proponere status, mihi aptum videtur: primum, si ascites ante graviditatem jam exstitit; secundum, si durante graviditate ortus est, et aliis quidem ex causis, atque graviditate ipsa; tertium, in quo graviditas ipsa causam exhibuit.

Generatim prae primis major sexus feminini ad statum hydropicum dispositio accusanda est. Uterus gravidus mox ad diaphragma tendit, mox abdomen ita extendit, ut ad genua usque pendeat; tum post incommodum et maximis cum contentionibus conjunctum partum iterum subito evacuatur: unde integumenta laxiora redduntur; abdomen plurime in arctissimo coërcetur vestitu; expositum est refrigerationibus. Mulieres saepius magnam sanguinis succorumque jacturam faciunt; nec minus suppressione mensium aliarumque haemorrhagiarum consuetarum, hysteria, spasmis, systematis nervosi affectionibus, deprimentibus praecipue, etc. laborant. Omnes denique aliae hydropis causae notae agere possunt.

Levret *) prae primis menses accusat, dicens: „l'hydropisie du ventre vient ordinairement aux fem„mes par la privation ou entière cessation, ou à „tout le moins par une grande diminution de leurs „menstrues." Accedit huc, quod secundum Denmann **, Franck ***), aliosque ****) mulieres hydropicae

---

*) a. a. O.

**) a. a. O.

***) a. a. O.

****) Schenck. Volum. indic. de Gravidis. in Epigrammate, quod in morte mulieris gravidae et hydropicae scripsit:

An non miraclis res adnumeranda videtur,
cui sit posteribus vix habiturae fidem?
Quod prius incolumi natura negaverat, illud
Oppressae morbo post tria lustra dedit.

Mulier, per longum tempus sterilis, hydropica, tum gravida facta.

picae facilius concipiant; complicationem habemus, in qua ascites ante graviditatem jam exstitit, et quodammodo causa graviditatis haberi potest. In casibus, ad id genus pertinentibus plerumque vitium cujusdam gravioris momenti intestini causa erat. Schenck *) in una muliere hepar in scirrhum mutatum ac lienem quasi lapidosum invenit; in altera, hepatis gibba pars livido plane et nigro quodam colore infecta; lien instar grumosi ac putrefacti sanguinis comparuit, solidiori substantia quasi colliquefacta. Burns **) quoque hepatis morbum, ut gravioris momenti causam in nostro casu affert, asciten oriri dicens, e causa hydropis communi, praecipue autem ex hepatis morbo.

In casu, quem Osiander ***) narrat, ascites originem duxit e pressione in abdomine et perverso, quod in partu antecedenti adhibebatur, auxilio, quo malum tarde, statu inflammatorio lento, se evolvit. Quod valde notandum mihi videtur, quum, proh dolor! haec non raro eveniant, ineptis saepenumero obstetricium administrationibus. In alio casu hysteria ascitae causa fuisse videtur.

Quod ad speciem secundam attinet, si ascites quidem ortus est, durante graviditate ex aliis, atque graviditate ipsa, causis, exempla nobis afferunt, febrem biliosam, febrem intermittentem, china adhibita suppressam, icterum, haemorrhagiam ex utero, pneumoniam, venaesectionem nimiam, refrigerationem etc. causas fuisse; easque innumeras esse posse, non dubium est.

Tertium denique, ubi ascites absque causa nota ****) oritur, graviditas ipsa accusanda esse videtur.

---

*) a. a. O.

**) a. a. O.

***) a. a. O.

****) cf. Franck a. a. O. gravidae mulieres saepe absque causa nota hydropicae fiunt.

Chambon de Monteaux *) dicit: „pressione uteri „gravidi, in dies magis magisque se extendentis, ve„nae inferiorum extremitatum non facile in venam „cavam se evacuare possunt, ex qua re affectiones, „sanguinis stagnationem sequentes, ut ascites etc. „oriuntur." Quod vero non semper, tempore praecipue priori, quo uterus non tam magnus est, causam exhibere censeo, nec solam: tum temporis magis affluxus sanguinis ad uterum, et consensus uteri accusandi sint; conceptione enim uteri nervi omnino alio modo temperantur; et quomodo nervorum affectiones in augenda aut supprimenda secretione multum valeant, neminem fugerit.

Ex consensu quoque maxime ducere possumus enormem fluidi in utero accumulationem, quae saepius in complicatione nostra, ut exempla ostendunt, adest, atque instante partu, vel in partu ipso, licet praematuro, effluere solet.

Si prognosin respicimus, duplex est, quoad foetum, quoad matrem. Quoad foetum, multa extant exempla, quae foetum salvum et bene constitutum in lucem prodiisse enarrant; plurime autem, aut abortus factus, aut partus praematurus, aut partu etiam justo tempore edito, foetus tamen debilis post nonnullum tempus mortuus est. Hippocrates **) dicit: „si mulier in utero habeat et fiat hydrops, cor„rumpitur foetus." Baraillon ***): „il est rare que „la femme porte son enfant à terme, et plus rare „encore, que l'enfant vienne vivant et bien constitué."

Accipiamus malam sanguinis constitutionem, cachexiam in hydrope, qua uterus quoque in paralyti-

---

*) Malad. d. femmes.
cf. Salmuth. cent. I. obs. 2.
Dionis. anat. p. 160.
Levret. a. a. O.

**) a. a. O.

***) a. a. O.

cum quasi statum delabatur, foetus haud apte nutriatur; methodum debilitantem, quae in cura saepius adhiberi necesse est, increscentiae foetus plane contrariam; congestiones locales ad uterum, vel drasticis purgantibus, vel diureticis aliisve excitatas; operationis denique actum, quibus omnibus abortus cieri possit: prognosis vitae infantis non alia nisi mala stabilienda est. Paulo melior reddi possit, si ascites medio jam graviditatis tempore oritur.

Quod attinet ad mulierem, primum omnes, quae in libris afferuntur, regulae de ascitae prognosi locum habent; at mittam eas, tantumque afferam, quae ad complicationem spectant. In universum autem prognosis bona non est.

Franck, Langstaff, Burns aliique dicunt, meliorem reddi prognosin, si ascites durante ortus sit graviditate. Qui si jam antea affuit, plerumque vitia organica existunt, totusque organismus jam magis morbosus redditus est. Burns *), accusans inprimis hepatis morbos, ait: „ascite morbis hepatis „orto, medicina raro efficax est; mulier plerumque „unum vel duos hebdomades post partum, sive prae„maturum, sive non, moritur." Porro: „ascites, he„patis morbo non ortus, nisi adsint mala symptoma„ta, ut capitis dolores, febris, vertigo, removetur, „abitque vel paulo ante, vel paulo post partum, qui „tamen saepius praematurus est."

Franck **): „mulieres gravidae sine causa no„tabili hydropicae factae sunt, neque prius secunda „valetudo, quam pepererant, restituta est." Alio loco: „ascites gravidarum saepe, quamquam non in „omnibus casibus, post partum sponte evanescere „solet." Levret ***) „l'hydropisie du ventre, qui a „précédé de longtems la grossesse d'une femme, „s'augmente encore souvent après, qu'elle est accou-

*) a. a. O.

**) a. a. O.

***) a. a. O.

„chée; ce qui est contraire au prejugé du peuple, „qui dit, que la grossesse naturelle guerit les fem- „mes, qui sont hydropiques." Auctor non erret liceat; nec minus populus; hic enim de ascite, durante graviditate orto, loqui videtur; ille vero de ascite, e vitiis organicis orto, qui quidem, nisi illis sublatis, evanescere non potest. Langstaff *), casus, dicit, non graves, complicatos cum graviditate, vel inde allatos bono successu finiisse, vel mox ante, vel mox post partum.

Omnes vero sententias, omnesque casus tam diversa esse natura videmus, ut comparatio adhuc non admittatur, ex qua ad prognosin concludi possit; quam semper malam, his conditionibus, statuere necesse est.

Considerantibus nobis gravioris momenti casus, in quibus chirurgiae adhibitum est auxilium, bonus plerumque matri successus ex his elucet; operatione praecipue ad scarpae methodum perfecta.

Chirurgico si utimur auxilio, ad prognosin statuendam, praeterea operationis sequelae malique eventus necessario considerandi sunt, ut inflammatio peritonaei, laesio organorum praestantiorum, abortus aliaque.

Restat, ut periculi quoque, matri ex abortu instantis, mentionem faciam. Confirmante enim Hippocrate, pereunt abortientes matres, graviori morbo acuto afflictae. Ultimis quidem graviditatis diebus periculum majus, quippe quod ex utero, magis tum temporis sanguine conferto, haemorrhagia ingens, evacuationem constituens, oritur. Schmidtmann **), quatuor gravidas, ascite laborantes, se perdidisse dicit; abortum factum, immenseque vires esse exhaustas.

---

*) a. a. O.

**) *Journ. d. pract. Heilkunde herausg. v. Hufeland und Osann IV St. Apr.* 1830.

In cura instituenda duas in primis habemus indicationes:

1°. servare matrem; i. e. asciten impugnare; impedire ne denuo fluidum accumuletur;

2°. servare foetum i. e. partum, quantum possit, ad maturitatem perducere, ne abortus, vel partus praematurus oriatur.

Quibus conjunctis, ne dum Scyllam vitare volumus, in charybdin incidamus, videndum erit. Saepius autem utraeque indicationi satisfieri simul non posse, neminem fugerit. Curam ipsam vero dividamus in pharmaceuticam et chirurgicam. Illa in primis adhibeatur in casibus levioribus, in quibus suffocationis periculum non adest. Langstaff, casus leviores omnes bono cum successu mox ante partum, mox postea, idoneis adhibitis medicaminibus, finiisse dicit. Porro adhiberi solet in casibus, quorum decursus non acutus est, praecipue in quibus ascites ante graviditatem jam adfuit, et indolem durante graviditate obtinet eandem: hic quidem morbum detinere quodammodo possumus, quod si usque ad partum editum fieri posset, optimum foret. Interea, in casibus gravioribus remedia pharmaceutica nihil fructus afferre posse, non dicam, exemplis multis memoratis, in quibus, decursu rapido, gravissimis symptomatibus, aegrota solis illis sanata est: aliis contra laudatis, in quibus, quamquam levioribus, nec pharmaca, nec chirurgica auxilium tulerunt. Omnino autem uniuscujusque statum individui reputare necesse est; debilis sit persona, nec ne; plethorica, nec ne; causae removeri possint, nec ne; morbus sit acutus, an chronicus; sthenicus an asthenicus; febris, symptomata graviora adsint, et quae sunt caetera.

Natura quoque ipsa statum hydropicum, ut jam supra memoratum est, sanat. In ascite, orto e magna unius vel alterius praestantioris intestini degeneratione, nec remedia pharmaceutica, nec chirurgica multum utilitatis afferent; quo in casu jam satis multi fecerimus, si morbus detineatur, ut partus justo procedat, neve foetus detrimentum capiat.

Morbus quum ea sit natura, ut roborantia postulet remedia, haec quoque foetui conveniunt. Saepe autem haec non feruntur statusque nihilominus pejor fit. Cogamur vero adhibere Venaesectionem, Calomel, drastica purgantia, fortiora diuretica, aliaque, tum foetus vita in conflictum venit: licet plura exempla nobis allata sint, in quibus illis in majori gradu adhibitis, foetus nihilominus tamen ad maturitatem venerit et sanus natus fuerit. Quin Sagapenum, Myrrham absque foetus damno adhibitas esse, experientia docet. Quodsi interdum nullo subsequente incommodo, haec a quibusdam administrata fuerint, hoc robori quasi mulieris, et foetus firmitudini, morboque ipsi, non rationi adscribant, regulamque ex his non condant!

Quod attinet ad Venaesectionem multis in casibus, praecipue si dolores in abdomine adsunt, aeque ac febris vehemens, adhiberi licet; eam enim in statu plethorico unicum saepenumero foetus conservandi remedium esse, constat.

Hippocratis sententiam: „mulier utero - gerens sanguine misso ex vena abortit, et magis, si foetus sit major," non in unoquoque casu veram esse satis liquet.

Langstaff in fine tractationis de complicatione ascitae cum graviditate scribit: „and from what I „have seen of dropsy occasioned by plethora, or an „inflammatory state of the arteries, I should expect „that the further effusion of the fluid into the peri„toneal sac during pregnancy, might, if detected „before the accumulation was considerable, be pre„vented by blood-letting; and ultimately, the absor„bents induced by proper treatment to carry of the „fluid. But this fortunate termination could only „be expected where effusion was merely the result „of simple inflammatory action, unconnected wiht „visceral disease."

De remediis diaphoreticis non dicam; in nostra complicatione non multum conducent; nec minus de emeticis, quae plane omittenda sunt.

Purgantia, et quidem drastica, non aptissima sunt remedia ad evacuandum fluidum, et ad functiones compensandas; praeterea ad uterum congestiones admodum augentia, abortum facile efficiunt.

Methodus omnium minime vires exhauriens et tutissima, est fluidi per renes evacuandi. Burns quidem dicit: „I have seen diuretics given very „freely in these cases, but most frequently without „any benefit. On this account, and also from the „danger of these exciting abortion, or premature „labour, I am inclined to dissuade from their use, „except in urgent cases. Then the mildest ought „to be employed, such as cream of tartar, juniper „tea, acetate of pot-ash, etc. If any of these pro-„duce much irritation of the urinary organs, they „must be exchanged for others. Purgatives and „blood-letting are more useful." De purgantibus et Venaesectione jam supra verba feci. Res semper secundum individuorum naturam constitutae sunt.

Fortiora diuretica saepe irritantiora esse negari non potest; at haec quoque plane rejicienda sunt; sicuti etiam mitiora, magna dosi emetice agentia. Cremor tartari, Oxymel Scillae, Roob Sambuci, Kali aceticum et quae sunt alia hujus generis locum habeant. In digitali purpurea remedium nos habere credo, quod praecipuis congruat indicationibus, atque aptis cum additamentis porrigi licet in statu febrili, qui non raro asciten comitari solet; in inflammationibus, indurationibus intestinorum, magna sensibilitate, plethora etc. Calomel, quod ut remediorum diureticorum adjumentum, atque in hepatis infarctibus aptissime datur, nostro complicationis casui non valde convenire videtur, respectu foetus.

Scarificationes in extremitatibus inferioribus, quas Chambon *) commendavit, in tam gravi casu incertum atque ineptum remedium sunt, quamquam exstitit casus **), in quo ascites post vulnera bis

---

*) a. a. O.

**) Neue Sammlung auserles. Wahrn. a. a O.

facta in pede postico, ex quibus magna fluidi copia effluxit, evanuisse dicitur. Quem proposuit Langstaff *) et perfecit in casu narrato, partum scilicet praematurum arte factum nihil efficere posse elucet, sicuti quoque re vera nihil effecit.

Revertentibus autem ad eum statum, quem plerumque cum graviditate complicatum invenimus, asciten acutum dico, quem gravissima comitantur symptomata, et exemplis comparatis, pleraque, vel omnia potius remedia nil profuisse, malum contra semper increvisse ad summum fastigium reperientibus; operatio paracentesis tutissimum et celerrimum, ut praesens minime, in quo versatur mulier, periculum avertatur, remedium esse videtur. Nam si flebilem illum statum respicias, in quem mulier immensa abdominis extentione, qua, respiratione coarctata, nulla vitae spes restat, adducitur, liberatio, etsi breve tantum tempus perduret, paracentesis operatione nimis magni emi non potest.

Opprobrium, quod operationi fieri possit, foetum fere semper mortuum natum, vel abortum factum, neque minus abortus sequelas periculosas esse, refutari potest, partim quum, adhibitis fortioribus medicaminibus, abortus quoque adducatur foetusque occidatur; partim quum, operatione neglecta, infantem vivum et sanum expulsum fuisse non extra dubium sit; atque duorum malorum minimum semper esse eligendum, vel unum malum duobus praeferendum, constet. Exempla quoque, quoad matrem, optimum habuisse successum operationem, docuerunt.

Denmann **) quidem dicit, in muliere tempore, aut conditionibus, quae graviditatis suspicioni illam subjiciunt, nunquam hydropicae curam vel paracentesin institui debere, priusquam exploratione per vaginam aut temporis exspectatione, eam gravidam non esse, nobis persuasum sit; quamquam nonnulli

---

*) a. a. O.

**) Medico-chirur. Transact. a. a. O.

operationem fieri concesserint. Burns *) contra: experientia se colligere magnum fluidi accumulati partem tuto detrahi posse, posita abdominis sustentatione fasciis durante finitaque operatione. Utile esse hoc scire pergit; quum interdum extentio tanta sit, ut vita usque ad graviditatis finem sine magno detrimento sustentari non possit. Operationem in ultimo mense fieri, melius esse, ob dolores ad partum. Langstaff **) quoque: „Ob bonum, inquit, „operationis successum, paracentesin similibus in „casibus commendare adducar, antequam sympto„mata tam gravia fiant." Scarpa ***): „complicatio „ascitae acuti cum graviditate semper chirurgiae „auxilium postulat."

Quod ad tempus operationis pertinet, primis an ultimis graviditatis mensibus fiat, definite indicari non potest, conditionibus tam variis, quas breviter enumerare locus desit.

Variae operationis methodi sunt:

Vieusseux operationem perfecit primum in latere dextro loco sueto; tum iterum in latere sinistro, ubi simul uterus, absque tamen malo successu laesus est.

Maclean proposuit, uterum duabus manibus adjuncti versus dorsum premere, integumenta abdominis in plicam ad latus externum tollere, ibique in latere sinistro punctionem facere.

Bonn antea incisuram in integumenta externa fecit.

Quibus operandi methodis in periculum uteri laedendi nos incidere videmus. Quamquam vero, multis exemplis id affirmantibus, uteri laesio non tam periculosa est, tamen, si vitare hoc possumus, melius est. — Locus ad evacuandum fluidum ob uteri gravidi situm non aptissimus est. Licet quo-

---

*) a. a. O.

**) a. a. O.

***) a. a. O.

que hydrops uteri simul adesset, tamen punctio in uterum non indicata esset; et si fieret, fluidum in utero accumulatum primum efflueret; quod in abdomine, remaneret. Altera operatione opus esset. Cur tandem irritationem tantam provocemus, quantam vulnus in hoc organo efficit, qua eo magis abortus cieri potest?

Langstaff operationem perfecit tali modo: duos pollices infra umbilicum incisionem in integumenta incipiens paullulum descendens, altius penetravit, donec peritonaeum nudum esset. Tum acu triquetro mediocris magnitudinis peritonaeum perforavit. Anteriori uteri pariete canulae orificium tangente, fluidique inde effluxu impedito, et doloribus magnis ortis, canulam extrahere necesse fuit. Pressione ad finem pervenire conatus est, sed frustra. Specillum, e gummi elastico praeparatum, per aperturam inductum est, donec mucro ejus inter uterum et peritonaeum in medium fluidum accumulatum pervenerit. Sic aqua plane est evacuata.

Hanc methodum quoque rejiciendam esse, quum ex parte locus fluidi evacuandi non aptus sit, sicuti exemplum quoque docuit; partim summa, ut peritonitis, mala eam sequantur, (sicuti in casu allato sequuta sunt) magnae irritationis causa, quam specillum, inter uterum et peritonaeum inductum, necessario affert, facile intelligitur.

Omnia haec mala evitantur methodo a Scarpa proposita, primumque ab illo perfecta, tum aliorum exemplis constituta; quae est: punctio fit acu triquetro inter acumen exterioris musculi recti abdominis lateris et costarum spuriarum marginem.

Hic aptissimum esse locum exempla docuerunt, *) in quibus operatio bono cum successu perfecta est. Aqua accumulata uteri situ cogitur superiorem abdominis partem, et locum quidem inter fundum, et parietem posteriorem uteri, et intestina diaphragma versus obtinere, i. e. in regionibus hy-

*) cf. Scarp. a. a. O. Dr. Cruch. Beobacht.

pochondriacis. Ibique undatio aquae in pulsando abdomine clarior percipitur, eoque perspicuior in hypochondrio sinistro, quum lien minus atque hepar occupet spatium. Infigendo via directa in magnum fluidi accumulati receptaculum pervenimus, unde perfecta fieri possit evacuatio. Periculum quoque ne uterus, neve intestinum aliquod laedatur, non adest; antrorsum enim premitur uteri paries anterior; diaphragma versus colon transversum cum ventriculi fundo ac lien; columnam vertebralem versus intestina tenuia. Irritatio peritonaei quoque non est metuenda, ex qua magna sequi possint mala

Vir quoque Ill. Wagner hanc operandi methodum bono successu iniit. In muliere 28 annorum, quae duos jam infantes pepererat, menses cessabant. Quum nemo eam gravidam esse dubitaret, mox extremitates inferiores, nec minus abdomen ita intumuerunt, ut a graviditate sola causa repeti non posset. Fluidi in abdomine fluctuatio mox clare animadversa est. Nunc autem non amplius de graviditate, sed de hydrope solo verba facta sunt. Magna fortiorum diureticorum et drasticorum copia porrecta est (quod in periculum ducere potuisset). pectoris angor maximus, ita ut suffocatio immineret. Paracentesi denique in regione hypochondrii sinistri inter marginem facta externum musculi recti et costas spurias, ubi fluctuatio distinctissima, levamen secutum est. Quatuor post hebdomades paracentesin repetere necesse fuit; atque iterum quatuor praeterlapsis hebdomadibus mulier peperit; lochia in satis magna copia fluxere; menses quoque durante lactatione intrarunt, et hydrops evanuit.

VITA.

Natus sum, Fridericus Carolus Doinet, Trarbachiae, oppido ad Mosellam, anno MDCCCVI, patre carissimo Nicolao Doinet, quaestori aerario in oppido Rhenano-Borussico Sobernhemii, matre dilectissima Carolina, e gente Buss; quos incolumes adhuc pia mente veneror. Fidem catholicam profiteor.

Primis literarum rudimentis imbutus, Progymnasium urbis patriae adii; eoque relicto Gymnasium quod Crucenaci directore Dr. Eilers floret, frequentavi per tres annos et dimidium; ibique in omnes, quae ad studia academica viam munire solent, doctrinas incubui. Dein examine abiturientium rite absoluto, ad Universitatem literariam Ruperto-Carolinam Heidelbergae me contuli, ibique die XXX mens. Octobr. anni MDCCCXXVI, Prorectore magnifico Naegelé, academicorum civium numero adscriptus, hisce per biennium interfui praelectionibus.

Logicen et metaphysicen mihi tradidit Cel. Er-

hardt; physicen tam theoreticam, quam experimentalem Cel. Muncke; historiam naturalem et anatomiam comparatam Cel. Leuckart; botanicen generalem, specialem et pharmaceuticam; aeque atque anatomiam et physiologiam plantarum Cel. Bischoff; mineralogiam Ill. a Leonhard; chemiam theoreticam, nec minus pharmaceuticam, conjunctam cum exercitationibus Ill. Gmelin. Osteologiam mihi exposuit Cel. Arnold; anatomiam, et generalem, et specialem, physiologiam Ill. Tiedemann; quos viros Ill. quoque in arte cadavera dissecandi duces habui. De hygieine, pathologia, et therapia, tum generali, tum speciali, disserentem audivi Ill. Puchelt; de arte obstetricia Ill. Naegelé; quem etiam moderatorem habui in rebus practicis obstetriciis.

Quibus absolutis Bonnam profectus sum, ubi in Universitate literaria Friderica Guilelma Rhenana ab Ill. Hefter t. t. Rectore magnifico in numerum civium academicorum receptus, et ab Ill. Bischoff medicorum ordinis Decano medicinae studiosis adscriptus, sequentes audivi lectiones: Ill. a Walther de morbis oculi; clinicis adfui exercitationibus medicis, chirurgicis, et obstetriciis ducibus Ill. Ill. a Walther, Nasse, et Kilian.

Anno MDCCCXXIX ineunte mense Majo ad hanc celeberrimam musarum sedem Berolinensem me contuli; ibique Ill. Klenze t. t. Rectore magnifico in album receptus, et decano t. t. medicorum ordinis Ill. Bartels facultati medicae adscriptus sum. Inde ab eo tempore has frequentavi praelectiones: Ill. Juengken de Chirurgica generali et speciali, ophthalmiatrice, operationibus chirurgicis; Cel. Sundelin de materia medica et arte formulas medicas concinnandi; Ill. Casper de medicina forensi atque doctrina de morbis infantum. Clinica medica in nosocomio caritatis dirigentibus Ill. Ill. Bartels et Wolff, clinicum chirurgicum moderatore Ill. Rust, ophthalmiatricum duce Ill. Juengken adii.

Quibus omnibus praeceptoribus gratissimum, quem semper habebo, animum hisce testificor.

Ut satisfacerem officio militari, per annum in legione pedestri, quae Alexandri imperatoris nomine gaudet, chirurgi centuriae munere functus sum.

Tentaminibus, philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite peractis, spero, fore ut, dissertatione conscripta, thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Operandi methodus Scarpae, si in gravidarum ascite paracentesis instituatur, omnibus aliis praeferenda est.

II.

In fistulis operandis incisura plurimis in casibus ligaturae est postponenda.

III.

Foetus in utero lue venerea affici non potest.

IV.

Haemorrhagia post partum semper periculosa.